

caret: alter ex. gr. Patrum et Ecclesiae interpretationes accuratius et copiosius sistit puta Corn. a Lapide, et Calmetus, alter contextum et logicum ordinem clarius exponit, puta Maldonatus, et Bernardinus a Piconio, alius literalem et philologicam expositionem subtilius et doctius persequitur, puta Bonfrerius, Ackermann, Beelen et generatim recentiores melioris notae interpretes, et ita porro; quas proinde dotes in singulis dispicere oportet, ita ut unius defectus per alterum suppleatur, et ex multorum comparatione tum ingenium exerceatur, tum propria interpretandi ratio perfectior evadat. Ad hoc autem facilius dignoscendum praestabit loca quaedam Scripturae profundiora, atque obscuriora apud diversos interpretes consulere, ex iis enim tamquam ex lydio lapide probatur quantum quisque valeat, et quid ab eo sperandum in ceteris locis sit.

Ad haec omnia facilius praestanda subicitur sequens

SECTIO II.

BREVIS NOTITIA PRAECIPUORUM SCRIPTURAE INTERPRETUM

Propositum nobis non est elenchum omnium interpretum subicere, quod maioris operis negotium est, a pluribus doctis viris susceptum (1), sed ad normam Theologorum de clarioribus tantum pauca animadvertere. Haec brevis historia sponte sua dividitur in duas partes, prout interpretes vel Iudaei sunt, vel Christiani. Horum autem historia complectitur notitiam exegeseos tum sanctorum Pa-

(1) Ubiorem notitiam commentatorum Iudaeorum exhibent Bartolucci, et Wolfius alter in *Bibliotheca magna rabbinica*, alter in *Bibliotheca hebraica*, prae coeteris vero De Rossi in suo: *Dizionario Storico degli autori Ebrei*. Parma 1802. Christianorum autem interpretum copiosissimum indicem tradunt inter ceteros Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta* lib. IV, et recentius Calmet in *Bibliotheca Sacra* praefixa eius *Dictionario biblico*, et imprimis Lelong in *Bibliotheca Sacra in binos syllabos distincta* cum additionibus et supplementis Boernerii et Maschii Halae 1778-90. Notitiam et iudicium de praecipuis commentatoribus tum Iudaeis tum christianis tradit etiam Rich. Simonius in: *Histoire Critique du V. T.* (Lib. III), et in: *Histoire Critique des principaux commentateurs du N. T.* Verum hic auctor non semper aequum iudicium fert de SS. Ecclesiae Patribus.

trum, tum Doctorum mediae aevi tum recentiorum, qui rursum in Catholicos, et Protestantes distinguendi sunt. Hunc igitur ordinem in hac brevi expositione tenebimus.

CAPUT I.

DE IUDAEIS SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETIBUS

In Prolegomenis nonnulla animadvertimus de Iudaeorum exegesi ante Christum, et initio aerae christianae, quibus tamen actibus licet fortasse vere ac proprie dicti commentatores extiterint nulla tamen huiusmodi opera scripta ad nos pervenerunt. De cabalistica quoque interpretandi ratione, Iudaeorum fere propria, quaedam superius dicta sunt. His igitur omissis, hic eorum tantum scripta recensimus qui proprie dictos commentarios methodo plus minus literali in Sacram Scripturam composuerunt, qui quae etiam Christianis utiliores esse possunt. Hi omnes floruerunt inter saeculum XI, et XVI, et dialecto rabbinica plerumque scripserunt, unde versio latina prodit. Praecipui sunt sequentes.

1. *Aben-Ezra*. In Hispania floruit saeculo XII: scripsit commentarios in Pentateuchum, Prophetas et plerosque alios libros V. T. qui in *bibliis Magnis rabbinicis* primo loco apponi solent. Subtilis est, literalis, licet allegoriam non respuat, a fabellis etiam et superstitiosis Rabbiorum somniis plerumque sibi cavet, regulas quoque interpretandi satis accurate tradit in praefatione in Pentateuchum. Stylo tamen utitur valde obscuro, quo fit ut etiam hebraice scientes in eius lectione saepissime haereant: quare explanationes seu commentarii in ipsos commentarios scribi debuerunt quos hebraei פְּנִינֵי אֶבְרָהָם vocant.

2. *Rabbi Moses Ben Maimon*, quem brevilitatis causa Iudaei *Rambam* vocant (1), Christiani vero Maimonidem, et ipse hispanus fuit, eiusdemque cum priore aetatis: commentarium scripsit in difficiliore Scripturae locos, cui titulum fecit: *Moreh Nevuchim*

(1) Coniata est haec vox ex initialibus vocum *Rabbi Moses ben Maimon* מֹשֶׁה בֶּן מַיְמוֹן appositis punctis vocalibus seu duplici pathah: simili modo aliorum praecipuorum Rabbiorum nomina in unam vocem contrahunt, ut infra notabimus.

מורה נבוכים seu, *doctor perplexorum*. Magnam apud Hebraeos celebritatem adeptus est, et a Christianis etiam doctoribus non raro citatus invenitur.

3. *Rabbi David Kimchi*, a Iudaeis dictus *Radak*, in Gallia saeculo XIII floruit. Commentarios scripsit ob accuratam et literalem sensus expositionem valde laudatos, licet illis subtiliores grammaticas quaestiones plus aequo immisceat. Stylo utitur satis facili, et ad biblicum hebraicum propius accedente: quare Buxtorfius in *Conclusionem* sui Lexici Hebraici eius lectionem commendat tironibus, qui ad difficiliora Rabbiorum scripta intelligenda gradatim pervenire student.

4. *Rabbi Salomon Isaac*, cognomine *Iarchi* (et a literis initialibus *Rasci* dictus) in Gallia pariter floruit saeculo, ut videtur, XII. In suis commentariis traditionali Iudaeorum expositioni potissimum adhaeret, neglectis superfluis grammaticorum subtilitatibus: quare in multis locis cum S. Hieronymo apprime convenit; Thalmudicis tamen fabellis non raro indulget, et Scripturae sensum aliquando pervertit.

5. *Rabbi Moses Ben Nachman* (*Ramban* dictus) Pentateuchum exposuit: plerumque mysticam et cabbalisticam interpretationem sequitur, saepe tamen grammaticus est, et literalem sensum accurate exponit.

6. *Rabbi Levi Ben Gerson* (*Ralbag*) in Gallia vixit saeculo XIV: in ratione interpretandi Maimonidi similis est, multa ex philosophia peripatetica inducit, miraculorum etiam narrationes saepe extenuat et in alium sensum detorquet.

7. *Rabbi Bechai* puriori stylo Pentateuchum exposuit triplici interpretatione, *literali*, *allegorica* et *cabbalistica*. Rich. Simonius literalem expositionem laudat, et dignam existimat quae in latinum conversa in lucem edatur.

8. *Rabbi Isaac Abarbanel* Lusitanus saeculo XV floruit. Rich. Simonius eius commentarium existimat ceteris utiliorem esse ad S. Scripturae intelligentiam, vel ex eo quod antiquiorum Rabbiorum interpretationes adducit, expendit et indicat, pluribus quoque ex proprio ingenio subtilioribus et accuratis observationibus insertis. Stylo utitur puro, eleganti et oratorio; non raro tamen animadversiones antichristianas immiscet.

9. *Rabbi Imanuel Ben Salomon* in omnes V. T. libros com-

mentarios scripsit quos laudat Io. Bern. De Rossi in op. cit. de Auctoribus Iudaicis, Plerique inediti sunt et in eiusdem de Rossi bibliotheca (nunc civitatis Parmensis) manuscripti asservantur. Idem De Rossi specimen eorum dedit in opusculo: *R. Imanuelis f. Sal. Scholia in selecta loca Psalmorum*. Parmae 1806.

10. *Rabbi Mardochai Ben Eliezer* Copolitanus saeculi XIV, quemadmodum Abarbanel, aliorum Rabbiorum, praesertim Abenezrae, expositiones ad examen revocat, et sensum literalem plerumque satis accurate ex penitiori linguae hebraicae cognitione et sermonis contextu eruere conatur.

11. *Rabbi Lombroso* Biblia hebraica edidit adiectis brevioribus, sed accuratis et opportunis adnotationibus in difficiliora textus loca.

12. *Rabbi Aben Ben Melech* Hispanus commentarium in totam Sacram Scripturam potissimum ex optimorum Rabbiorum antiquiorum expositionibus opportune selectis confectum edidit, quem Iahnus ait fortasse plerisque aliis esse praefendum.

Ceteros minoris momenti, praesertim eos qui cabbalisticis et allegoricis sensibus praecipue indulgent, enumerare praetermittimus (1).

Praedictorum Rabbiorum commentarii Christianis innotuerunt partim ex *Bibliis rabbinicis*, quae eorum praecipuos complectuntur (2), partim ex separatis editionibus, et imprimis ex eorum versionibus, quae identidem apparuerunt. Ita Aben Ezrae, et Maimonidis commentarii noti erant Doctoribus aevi mediæ antiquae

(1) Allegoricae scripturae expositiones satis multae a Iudaeis confectae generali vocabulo vocantur *medrasim* מדרשים: ex his prolixiores quaedam appellatae fuerunt *Rabboth* רבות sen *magnae* (expositiones) in Pentateuchum et quinque Migilloth, quarum singulae vocari solent a prima voce, seu titulo libri; sic *Beresith Rabba* est expositio in Genesim, *Secmoth Rabba* in Exodum et ita porro. Omittimus etiam alios exegeticos Iudaicorum libros incertae aetatis et auctoris, ex. gr. *Siphra* פשרה (expositio in Leviticum), *Mechilta* מכילתא (Expos. in Ex. XVI-XXIII, 20 XXXI, 12 17 XXXV, 1-4), *Tanchuma*, aliaque de quibus vide auctores citatos Bibliothecarum Iudaicarum, item Blas. Ugolini in Vol. XIV *Thesauri Antiqq. Sacrarum*.

(2) Haec dicuntur *Biblia magna rabbinica*. Duo sunt praecipuae eorum editiones altera Dan. Bombergii Venet. 1525-26, altera Io. Buxtorfii Vol. III. Introductio Exegetica.

eorum latina versione; commentarium Kimchi in Psalmos latine edidit A. Janvier O. S. B. Parisiis 1666, eiusdemque commentarium in Isaiam latine redditum vulgavit Caes. Malanimeus Florentiae 1674. Praeterea optimas Rabbidorum expositiones allegarunt, et in suos usus converterunt non pauci interpretes catholici vel ex Iudaismo conversi, vel aliunde in Hebraeorum literis familiariter versati, quemadmodum fuerunt Nicholaus Lyranus, Paulus Burgensis, Sixtus Senensis, Sanctes Pagnini, et prae coeteris Raim. Martini in *Pugione Fidei*, quem excerptis Galatinus in *Arcanis Catholicae Fidei*, adnotationibus autem copiose instruxit Duvoisinus. Et haec de Iudaeorum commentariis.

CAPUT II.

ANTIQUORUM ECCLESIAE PATRUM EXEGESIS USQUE AD SAECULUM VIII.

Nomine Patrum hic comprehendimus brevitatis causa omnes Ecclesiasticos scriptores, qui in antiqua Ecclesia floruerunt, et Sacrae Scripturae ediderunt expositiones: horum vero praecipuos tantum afferemus, et quidem primum Graecos et Orientales secundum varias eorum scholas, usque ad S. Iohannem Damascenum, tum vero Latinos.

ARTICULUS I.

PATRES GRAECI ET ORIENTALES

Primis Ecclesiae saeculis plures existerunt in Oriente scholae exegeticae, quarum tres praecipuas in Prolegomenis innuimus, *Alexandrinam*, *Antiochenam*, et *Edessenam*, indole ac methodo interpretandi non parum inter se diversas. Harum igitur praecipuos commentatores indicabimus, additis nonnullis de Schola *Nisibena*, quae magnam cum Edessena connexionem habuit.

I. Schola Alexandrina.

Basil. 1618-19. Praeter textum hebraicum complectuntur Targumim, tractatus Masoreticos, et Commentarios praecipuorum Rabbidorum supra, infra, et circa textum distributos, omnia hebraice, chaldaice et rabbinice.

Haec schola inter omnes antiquissima creditur, et ab ipso S. Marco Evangelista fundata. Dicta est schola *cathechetica*, quia eo potissimum fine instituta est ut Christianae religionis dogmata ibidem docerentur, profundius exponerentur, et adversus paganos philosophos, quibus Alexandrina civitas abundabat strenue vindicaretur. Religionis revelatae expositio secum ferebat expositionem Sacrorum Librorum, qui eandem divinam Revelationem complectuntur, quare schola cathechetica mox evasit *Exegetica*, sub quo respectu nunc illam considerabimus. Dicuntur autem ad scholam Alexandrinam pertinere (idem de aliis scholis intellige) non solum illi qui in eadem schola vel docuerunt, vel Scripturarum scientiam didicerunt, sed ii quoque qui in aliis locis educati et constituti magistrorum Alexandrinorum expositiones, et *Scripturam exponendi methodum* sectati sunt.

Huius autem methodi indoles ac proprius veluti character, ut saepe monuimus, collocandus est in praecipuo quodam studio allegorizandi, seu historias, et praecepta in sacris Libris obvia explicandi improprio, translato et accommodato sensu, quem fidelibus utiliorem existimabant quam sensum obvium et historico-grammaticum, licet et hunc non omnino excluderent: quod infra clarius explicabitur.

Scholae Alex. praecipui Doctores, et interpretes fuerunt sequentes.

S. Pantaeus Alexandrinae scholae fundator, et primus moderator multa quidem scripsit ab Eusebio laudata, quae tamen ad nos non pervenerunt. Cum in Indiam profectus fuisset ad populum illum Evangelio imbuendum publicam Scripturae expositionem et Scholae regimen reliquit discipulo Clementi Alexandrino circa annum 190.

Clemens Alexandrinus eloquentia, philosophia et omnigena eruditione praestans, diu Scripturas exposuit in laudata Schola, quo ingens auditorum numerus confluebat: praecipuas etiam expositiones plurium librorum utriusque Testamenti scripto consignavit in octo libris *Hypotyposeon*, quos Eusebius, et Hieronymus laudarunt, e quibus tamen nonnisi pauca fragmenta aetatem tulerunt, et quibus interpretandi ratio magna ex parte diiudicari potest ex Origenis eius discipuli scriptis.

Origenes Clementis discipulus et successor in Schola Alexandrina magistrum suum, aliosque omnes antecessores, et aequales superavit tum fama doctrinae et eruditionis, tum numero et splendore operum quae posteris reliquit, quae quidem numero poene infinita fuisse veteres tradiderunt (1). Ex his magna pars iniuria temporum intercederunt: quae supersunt 4 Voluminibus in folio comprehensa sunt in editione quas PP. Maurini Car. et Vinc. Delarue adornarunt Parisiis 1733-59. Omissis Origenis scriptis didacticis, asceticis, dogmaticis, apologeticis (cit. ed. to. I), de quibus non est hic dicendi locus, omisso etiam percelebri critico opere Hexaplorum in S. Scripturam de quo alias dictum est, ad Scripturarum interpretationem quod attinet, Origenes primus est qui omnes Sacros Libros V. et N. T. continuata expositione explanaverit, ut S. Epiphanius haer. 64, n. 3 testatur, excepta fortasse Apocalypsi. Quin imo refert S. Hieronymus (Praef. in interpr. Homil. Orig. in Ezechielem) eum triplici expositionis genere Scripturas interpretatum fuisse, nempe 1^o per *Scholia*, seu breves notas difficultioribus locis illustranda, 2^o per *Homilias*, in quibus ad populi captum, et aedificationem Sacros Libros accommodavit, 3^o per *Commentarios*, quos ipse *τόμους* appellavit, « in quo opere (inquit Hieronymus) tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit, et recedens a terra in medium pelagus aufugit. » Non omnia exegetica Origenis opera ad nos pervenerunt. Scholia, quae nobis utiliora ceteris fuissent fere deperdita sunt, quamvis credatur praecipua quae in eis continebantur in commentarios S. Basilii, Gregorii Naz. aliorumque Graecorum praesertim Alexandrinae scholae transfusa fuisse. Ex *Homiliis* et *Com-*

(1) Eusebius in Lib. IV, Hist. Eccles. c. 18 et 19, et Hieronymus Lib. de vir. ill. et alibi plura referunt de mirabili Origenis doctrina in omnibus pene humanis scientiis, (quam ob causam apud Paganos etiam philosophos est magno in honore habitus), item de incredibili librorum copia ab ipso conscriptorum: « Quis nostrum (inquit Hieronymus) tanta potest legere quanta ille conscripsit? Mille, et eo amplius tractatus, quos in Ecclesia loquutus est, edidit; innumerabiles praeterea commentarios, quos ipse appellat *τόμους* » (Hier. ep. 41 al. 65). Quinimo S. Epiphanius haer. 63 narrat famam percrebuisse Origenem *sex milia librorum* scripsisse, quod tamen Hieronymus exaggeratum putat, et eius librorum numerum ad 2,000 coarctandum esse. Haec praecipue de causa Origenes cognominatus fuit *Adamantius*, quasi infatigabili et invincibili in disserendo et scribendo robore praeditus.

mentariis satis multa supersunt, alia quidem in originali textu graeco, alia in latina versione a S. Hieronymo, et Rufino adornata; rursus Graeca alia quidem integra reperta sunt in antiquis codicibus, alia tantum in fragmentis quae asservata fuerunt ab Eusebio, aliisque Graecis scriptoribus, vel in *Catenis* Graecis relata, vel demum in *Philocalia*, quod opus est conflatum ex variis locis operum Origenis cura SS. Gregorii Naz. et Basilii M. (V. Greg. Naz. ep. 115). Haec fragmenta diligenter collecta et iuxta ordinem SS. Librorum distributa habentur in laudata editione Maurina aliisque sub titulo: *Selecta* in Genesis, in Exodum, in Psalmos etc. (1).

Ad indolem et meritum Origenis quod attinet, non exigua semper extitit opinionum discrepantia. Inter ipsos coevos, et suppres alii quidem ut *haereticum* et *animarum corruptorem* Origenem tradunt, ut Methodius, et Eustathius Martyres, et Pachomius Abbas, alii vero tamquam Ecclesiae lumen, et *secundum post Apostolos Ecclesiarum magistrum* eum praedicant, alii scripta eius diligenter conquirebant, et latinitate donata in Occidente propagabant, ut Pamphilus, Hieronymus, Rufinus, alii e manibus fidelium eripere satagebant, ut Epiphanius, et Theophilus, alii speciales sententias et libros eiusdem refutandos suscipiebant, et absolute damnabant, quos alii benigne explicari posse arbitrabantur, ut faciunt Didymus Alex. Iohannes Chrysostomus alique insignes Ecclesiae Doctores. In subsequentibus saeculis similes controversiae identidem renovatae sunt, multosque Origenes nactus est contradictores et vituperatores, nonnullos etiam laudatores, et vindices: qui tamen mediam veluti opinionem profitentur, ut dicant Origenem quidem orthodoxe scripsisse, eius tamen opera ab haereticis fuisse vitata, uti aperte monuerat inter alios Pamphilus M. in Apologetico, ideoque Ecclesiae damnationem ad opera eius corrupta, non ad genuina et originaria spectare (2). De dogmaticis Origenis opinionibus et er-

(1) Exegetica Origenis opera, quae graece extant seorsim edidit Gr. et Lat. Illumus Huetus to. II, folio Rhotomagi 1668 cum doctissimis Prolegomenis quae inscripsit *Origeniana*.

(2) Dia post mortem Origenis damnationis in eum sententia lata est in Concilio V. Oecum. a. 553, Coll. V, can. XI, renovata in Conciliis VI, VII et VIII.

roribus disserere non est huius loci (1). Hic tantum de eius methodo Scripturam interpretandi pauca adnotabimus. Nemo negabit insignes quasdam dotes in Origenis commentariis et homiliis elucescere, sermonis splendorem ac copiam, singularem claritatem, conceptum quoque originalitatem, ac profunditatem, quae auctoris mirum ingenium omnigenamque eruditionem patefaciunt, Scripturaeque intelligentiam magnopere promovent. Non minus tamen evidentia sunt vitia interpretationis Origenianae. Distinguit Origenes, et cum eo tota schola Alexandrina, triplicem in Sacra Scriptura sensum, scilicet *literalem* seu historicum, qui ex obvia verborum significatione, et simplici factorum narratione exurgit, *moralem* qui mores fidelium informat, et per applicationem, et consequentiam locorum Sacrae Scripturae eruitur, demum *allegoricum*, seu mysticum aut spirituale, qui altiora mysteria sub cortice verborum, narrationum, aut praeceptorum latentia exhibet: haec pulchre illustrat exemplo hominis in quo *corpus* (σωμα), *anima* (ψυχη), et *spiritus* (πνευμα) secundum Platoniorum loquendi modum distinguitur: « Triplicem, inquit hom. V in Levit. n. 3, in divinis Scripturis intelligentiae saepe diximus modum, historicum, moralem et mysticum; unde et *corpus* ei inesse, et *animam* et *spiritum* intelleximus » et eadem repetita distinctione, in Lib. IV de Princip. n. 11. subdit: « Sicut ergo homo constare dicitur et corpore, et anima et spiritu, ita etiam Sacra Scriptura quae ad hominum salutem divina largitione concessa est. » Triplicem exinde Scripturae expositionem admittit *literalem*, *moralem*, et *spiritualem* seu *allegoricam*; primam simplicioribus accommodatam esse, alteram provectoribus, tertiam perfectis. Hucusque nihil esset reprehendum. Verum Origenes *literalem* expositionem non semper possibilem esse contendit, sed reiiciendam et damnandam eo quod

(1) Errores Origeni adscriptos breviter enumerat Hieronymus postquam mentem suam adversus Origenem immutaverat, in Lib. II, adv. Rufin. n. 12. De his copiose disputant inter recentiores Huetius in *Origenianis* Lib. 2, et Vincenzi in opere cui titulus: *In S. Gregorii Nysseni et Origenis scriptis, et doctrinam nova recensio* Voll. V. Romae 1884-89. Vide praesertim *Monitum* ante Vol. II, p. I-XXXIII, et quaestiones in eodem vol. II, et in vol. III docte pertractatas. In vol. IV, c. 9-11 negat Origenem in Concilio V damnatum fuisse, cuius acta interpolata esse opinatur. Origenis vindicias docte et nervose pertexit etiam P. Alloixius S. I. in *Op. Origenes defensio*.

historias nonnullas, aut praecepta imprimis V. T. putet nec *veritatem*, nec *utilitatem* praeseferre, ideoque moraliter aut spiritualiter *tantum* esse exponenda. Hoc ita clare et aperte docet in variis locis ut omnes conatus Cl. Huetii, et Vincenzi ad eius sententiam benigne interpretandam minime sufficere videantur. Ita in Lib. IV de Princ. n. 13: « Oportet autem etiam illud nos scire, quia cum principaliter prospectum sit Spiritui S. intelligentiae spiritualis consequentiam custodire, vel in his quae geri debent, vel in his quae iam transacta sunt, sicubi quidem invenit ea quae secundum historiam gesta sunt aptari posse intelligentiae spirituali, ordinis utriusque textum (id est utrumque simul sensum, historicum, et mysticum) uno narrationis sermone composuit, altius semper arcanum sensum recondens, ubi autem spiritali consequentiae rerum gestarum historia convenire non poterat, interdum interseruit quaedam vel minus gesta (τὸ μὴ γενόμενον), vel quae omnino geri non possent (πῶ μὲν μὴ δυνατόν γενέσθαι), interdum etiam quae possent quidem geri, nec tamen gesta sunt; et nonnunquam paucis sermonibus qui secundum corporalem (literalem) intelligentiam non videntur servare posse veritatem, interdum multis inseritis, hoc facit (1), quod praecipue in legislatione frequentari invenitur; ubi multa quidem sunt quae in ipsis corporalibus praeceptis utilia esse manifestum, aliquanta tamen sunt in quibus nulla prorsus ratio utilitatis apparet; interdum vero et impossibilia decernuntur. » Nequis vero existimet haec de iis tantum locis dicta esse quae metaphorice intelligenda sunt, Origenes in ipsis expositionibus aperte repudiat quasdam veras historias, et quaedam legis clarissima praecepta, eaque nonnisi allegorice exponenda esse docet: ita ex. gr. hom. VI in Genesim totam historiam Abrahami cum uxore Sara in Aegyptum proficiscentis, eaque quae Sarae dicuntur accidisse cum Abimelech rege (Gen. XX) non veram historiam continere docet, sed meram allegoriam; similiter Rebeccae historiam explicandam esse contendit in hom. X, postquam enim dixisset Rebeccam esse animam fidelem, puteum S. Scripturam, Isaac Christum, qui animam

(1) Hic locus clarior et accuratius secundum Graecum textum redditur in alia versione ita: « Accidit etiam aliquando ut paucae interiorum sint dictiones veritati (si ad corpus spectes) non consentaneae: est ubi multae huiusmodi sunt » V. ed. Migne to. I, Orig. col. 375-6.

sponsam sibi quaerit, servum Abrahami esse sermonem propheticum, difficultatem sibi proponit cur Rebecca dicatur virgo, et deinde addatur: *et vir non cognoverat eam* (Gen. XXV, 16): « Quasi vero, inquit, aliud sit virgo nisi quam vir non contigit. . . . Est enim aliqua virgo quam contigerit vir? Saepe iam dixi quod in his *non historiae narrantur*, sed mysteria contextuntur. Tale ergo in hoc aliquid indicari puto. » Similia habet in Hom. I in Exodum de rebus Aegyptiorum ibi narratis, item hom. II de obstetricibus, et in hom. VIII et IX in Iosue de Deuteronomio Legis lapidibus insculpto, et de aliis bene multis, quae historice minime vera esse contendit utpote inania, vel impossibilia. Idem de Legis praescriptis docet in pluribus locis. Ita ex. gr. hom. VII in Leviticum exponens leges Mosaicarum de distinctione ciborum, et de animalibus mundis et immundis contendit haec omnia non esse intelligenda de veris animalibus, sed de hominibus sive bonis sive malis, et post longam de hac re disputationem concludit n. 5 his verbis: « Si secundum hanc intelligentiam dicamus Deum summum leges hominibus promulgasse, puto quod digna videbitur divina maiestate legislatio. Si vero assideamus literae, et secundum hoc vel quod Iudaeis, vel id quod vulgo videtur accipiamus quae in lege scripta sunt, erubescere dicere et confiteri quia tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes, et rationabiles hominum leges, verbi gratia, vel Romanorum, vel Atheniensium, vel Lacaedemoniorum. » Hoc ipsum clarioribus, et durioribus verbis inculcat in Lib. IV de Princ. n. 17: « Si ad Leges etiam Mosaicarum veniamus, plurimae si ad literam observandae sunt *absurdum*, aliae *impossibile praecipiant*. Absurdum est vulturum esum prohiberi, cum nemo ne extrema quidem urgente fame eo adduci potuerit ut ad istud animal confugeret. Octo dierum infantes non circumcisi exterminari e genere suo iubentur (Gen. XVII, 14), cum potius, siquid de his ad literam servandis sancendum erat, praecipere oporteret ut eorum parentes, vel eorum auctores interficerentur. Quod si impossibilia quae lege praecipiantur vultis noscere, animadvertamus tragelaphum ex iis esse animantibus quae consistere in rerum natura non possunt, quem tamen ut purum iubet nos Moyses offerre: gryphem nunquam auditum est ab homine captum esse, quem nihilominus edi vetat legislator. » Nec magis parit

Origenes historiae ac praecipis in N. T. relatis. Ita (hom. VI in Iosiam) negat veritatem promissionis Christi de miraculis a discipulis patrandis Io. XIV, 12: in to. XI Iohan. dubitat an vere Christus venditores e templo eiecerit: « Si tamen, inquit, haec historia contigit: » et in to. X, n. 2 generatim de Evangelistarum narrationibus pronunciat eas aliquando historice falsas esse et contradictorias, mystice tamen semper veras: « Non reprehendo, ait, ipsos aliquo pacto transposuisse ad utilitatem mysticae considerationis harum rerum, id quod, quantum attinet ad historiam, *alio modo factum fuerat*, ita ut quod uno loco factum fuerat tamquam in alio gestum sit narrarent, et quod uno tempore tamquam in alio, et illud quod uno modo pronunciatum fuerat cum quadam alteratione referrent. Propositum enim illis erat vera narrare et spiritualiter, et corporaliter *ubi liceret*; ubi vero *non contingebat utrumque*, rem praeferre spirituales rei corporeae, servata saepe spirituali veritate *in corporali*, ut quis diceret, *mendacio*. » Similia habet de quibusdam praecipis Evangelii Lib. IV de princ. n. 18 et adductis nonnullis exemplis concludit: « Haec omnia a nobis dicta sunt ut ostendamus non solum ea quae litera exhibet propositum fuisse ei, quae sacras nobis literas dedit, divinae virtuti explicare, quippe quae interdum *secundum literam minime vera sint*, sed et *absurda et impossibilia*; tum attestata esse nonnulla (falsa) rerum gestarum historiae, et iis legibus, quae secundum literam utilia praecipiant. » Haec pauca sufficiunt ad veram indolem systematis hermeneutici Origeniani deprehendendam. Duo igitur in eo vitia notanda sunt: 1^o quod sensum mysticum in omnibus omnino tum historiis, tum legibus Scripturae Sacrae latere doceat, nimis presse accipiens nota Apostoli testimonia, quibus assertitur Legem fuisse exemplar et umbram futurorum, et omnia ad nostram doctrinam scripta esse: 2^o quod affirmet in pluribus locis sensum allegoricum unice admitti posse sine historico sensu, ita convertens magnam historiae ac doctrinae biblicae partem in totidem parabolas, vel fabulas, aut philosophemata (1). Ex his duobus

(1) In quo differat haec Origenis praepostera interpretandi ratio a recentioribus systematibus Paulusii, Kantii aliorumque rationalistarum vix intelligi posset, nisi aliunde sciremus Origenem admisisse divinam Scripturae inspirationem et supernaturalem ordinem, imo ad haec facilius tuenda

placitis alterum Origeni proprium est, nam reliqui eiusdem scholae interpretes commentum illud probare non sunt ausi, imo aliquando expresse refutarunt; alterum vero, de sensus mystici in Scripturis extensione, universis Scholae Alexandrinae Doctoribus commune fuisse videtur, quamvis alii aliis temperantiores in eo admittendo, et applicando extiterint, ut ex dicendis apparebit.

S. *Gregorius Neocaes.* (Thaumaturgus) Origenis discipulus in Palaestina fuit, cuius etiam methodum interpretandi sectatus est, licet allegoriae excessum paullisper coercere conatus fuerit. Exlat eius *Metaphrasis in Ecclesiasten* « brevis quidem, sed valde utilis » teste Hieronymo (c. 65 Catal.).

S. *Basilius M.* Caesareae in Cappadocia Ep. († 379) Origenem pariter sequutus est in Scriptura exponenda, iis tamen correctis et immutatis quae ipsi non ardebant, ut testatur Socrates Lib. IV, c. 26; idque imprimis in expositione Psalmorum. Praecipuum eius opus exegeticum est commentarius seu homiliae IX in *Hexaemeron* (εις την Ἑξήμερον) idest historiam creationis, quam literali sensu potissimum exponit, dimissis allegoriis, et moralibus tantum, vel dogmaticis multis insertis. Styli elegantia et claritas, dicendi vis, conceptuum profunditas, spiritualis unctio in huius S. Doctoris scriptis laudem omnem excedunt. Optima editio Opp. S. Basilii habetur Maurina a Garnerio et Marano concinnata Paris. 1721-30 3 Voll. fol.

S. *Gregorius Nazianzenus* († 389) S. Basilii amicissimus, et in Scripturarum studio socius, quo magistro ipse S. Hieronymus se Scripturas didicisse fatetur (Catal. c. 117) nullam tamen commentarium, aut aliud opus proprie exegeticum reliquit, si excipiat Oratione XXXVII, (al. XXXI) quae expositionem continet Matt. XIX, 1-12, et quaedam carmina (Carm. I, 12 seqq.) in quibus canonicas quas-

adversus Paganos philosophos suum illud paradoxum excogitasse. Quae hic proferunt Huetius, et Vincenzi ad Origenis defensionem nihil aliud evincunt nisi eum non ubique historicum sensum negasse, non autem ubique admisisse; quod ceteroquin ipse Origenes expresse fatetur in Lib. IV, de Princ. n. 19, ubi multa et facta et praecepta secundum literam accipienda esse docet, hoc ipso confirmans non omnia ita accipi posse, quemadmodum huc usque tradiderat. Addere tamen hic oportet allegoricas Origenis expositiones, si tamquam applicationes, aut accommodationes Scripturae accipiantur, plerumque ingeniosas esse, simulque pias et aedificationi fidelium optissimas, ita ut prudens lector ex earum lectione non parum proficere possit.

dam historias exponit. Ceterum Origenis lectioni eum addictum fuisse ostendit eius *Philocalia*, cuius supra mentionem fecimus. In dogmaticis tamen scriptis literalem Scripturae sensum subtiliter ac solide evolvit, et contra haereticos urget (Cfr. praesertim orationes quinque seu sermones de *Theologia*). Optima operum Gregorii Nazianzeni editio, eaque rarissima est Maurina, cuius tomus primus prodiit Parisiis 1778, Tomus secundus diu post ibidem 1840 quae editio iterum accurate impressa est a Migne in Patrol. graec. tom. XXXV seq.

S. *Gregorius Nyssenus* († 394) S. Basilii M. frater, eiusque sanctitatis ac doctrinae aemulator multa reliquit opera, ex quibus magna pars exegetica est, scilicet expositiones in historiam creationis, in vitam Moysi, in historiam Pythonissae I Reg. XXVIII, in titulos Psalmorum, in Ecclesiasten, in Cant. Canticorum, in Octo Beatitudines, quas octo homiliis egregie populo exponit, in Orationem Dominicam et alia nonnulla. Nyssenus Origenem generatim imitatur in allegorico sensu proponendo, quamvis modum in allegoriis teneat, quinimo aliquando literali sensu presse inhaereat, quod imprimis observatur in eius expositione operis Creationis, quam ideo appellavit explicationem apologeticam de hexaemeron (απολογητικός περί της Ἑξήμερον), quia in ea defendendum suscipit Moysen ab incredulorum obiectionibus, tum etiam fratris sui Basilii commentarium in eandem historiam a quibusdam reprehensionibus vindicat et clarius explicat: idem plus minus dicendum est de eius libro de hominis officio, quo eiusdem Basilii expositionem supplet et complet. Opera Nysseni a pluribus edita olim fuerunt, sparsim tamen, et multis omissis, quae nondum reperta fuerant. Praecipua habebatur editio graeco-latina quae prodiit Parisiis an. 1638, post quam tamen alia opera seorsim apparuerunt in collectionibus Zaccagni, Caraccioli, et Gallandi, quae adiecta sunt aliis S. Patris operibus in editione Migne Patrol. Graec. Tom. XLIV-XLVI Paris. 1858, vel ideo caeteris praeferenda.

Didymus Alexandrinus († 397), qui coevis cognominatus est, eo quod in prima pueritia oculis captus fuerit, in sacris tamen scientiis et omnigena eruditione tantum profecit ut scholae Alexandrinae rector constitutus magisterium ibidem diu exercuerit, et ipsum Hieronymum auditorem atque discipulum habuerit (Hieron.

catal. c. 109). plurima quidem, imo infinita, ut Hieronymus ibidem loquitur, scripsit, ex quibus multa exegetica, quae tamen fere omnia perierunt, paucis exceptis fragmentis. In his breves enarrationes in Epistolas canonicas, quas olim Epiphanius scholasticus, suadente Cassiodoro, in latinum verit, Dydimi stylum apostolico viro dignum « tam sensuum lumine, quam simplicitate verborum » Hieronymus appellat: eum tamen Origenis methodum et fortasse etiam errores imitatum fuisse insinuat idem Hieronymus lib. I, contra Ruf. n. 6, et lib. II, n. 11.

S. Athanasius († 373) Alexandrinus episcopus in expositione in Psalmos, et in libro de Titulis Psalmorum Origenem imitatur in allegorica expositione: dubitant tamen nonnulli an praefatae expositiones ei revera adscribendae sit, quamvis eum Psalmos commentatum fuisse certum sit ex testimonio Hieronymi Catal. c. 87. Supersunt quoque fragmenta nonnulla ex catenis graecis excerpta in Job, in Cantica etc. quae Athanasio tribuuntur. Ceterum in dogmaticis operibus imprimis contra Arianos literalem Scripturae sensum ingeniose et solide exponit. Editio praestantissima operum Athanasii habetur Maurina per Jac. Lupinum et Bern. Montfauconium vulgata Parisiis 1698 tribus voluminibus in folio, cui tamen postea addita sunt alia Athanasii opera ab eodem Montfauconio et Gallandio edita et in unum collecta in editione Patavina 1777, quae deinceps aucta iterum prodit typis Migne Patrol. graec. Tom. XXV-XXVIII.

S. Dionysius Alexandrinus († 263) multa quidem scripsit, teste S. Basilio epist. 9 n. 2, quorum pars longe maxima intercidit, et in iis etiam quae supersunt vix unus liber integer invenitur. Ad exegetica Dionysii scripta pertinent: Commentarius brevis in principium Ecclesiae, scilicet in tria priora capita, nec non duo libri *de promissionibus*, in quibus promissiones in Scriptura factas docet non Iudaico sed Christiano more intelligendas esse. Dionysium Origenis admiratorem atque imitorem fuisse in Scriptura exponenda, tum ex eius scriptis satis apparet (licet explanationi literali magis insistat), tum etiam ex eo inferendum est quod, eiusdem Origenis discipulus fuerit, et in regimine scholae Alexandrinae successor. Optima editio est Romana a Simone de Magistris curata Romae 1796 in fol. graec. et lat. cui tamen addenda sunt

fragmenta quaedam ab Angelo Maib vulgata in *Veterum Scripturarum nova collectio* Tom. VII pag. 96-108.

S. Cyrillus Alexandrinus († 444) praeter alia, opera satis multa exegetica exaravit, quorum praecipua sunt: Glaphyra (Γλαφυρά) idest interpretationes venustae, quibus selecta Pentateuchi loca exponuntur, Commentarii in Isaiam, et in XII Prophetas minores, et undecim libri commentariorum in Iohannem. In Prophetis exponendis literalem sensum potissimum sequitur, in aliis, ac imprimis in Pentateucho, allegoricos sensus Origenis more proponit.

S. Epiphanius († 403) quamvis Origenis adversarius fuerit, eiusque nimium allegorizandi studium non semel expresse reprehenderit, et ipse tamen in Scriptura exponenda allegoricum sensum literali praefert. Ad opera eius exegetica pertinent *Commentarius in Cant.*, de cuius tamen authenticitate dubitatur, *Liber de duodecim gemmis* (Exod. XXVII et XXXIX). In libro de Haeresibus, quod *Panarion* inscripsit, et in *Anchorato* textus Scripturae dogmaticos literaliter et accurate interpretatur.

II. Schola exegetica Antiochena.

Haec Schola nomen accepit ab Antiochia florentissima urbe totius Syriae Occidentalis metropoli, ubi fides ab ipsis Apostolis praedicata est, et Christiani nominis dignitas exorta (Act. XI, 19 seq. XIII, 1 seqq., XIV, 23-27. Gal. II, 14). In hac itaque urbe inde a primis temporibus floruit schola Theologica et exegetica, quae saeculo praesertim IV summam celebritatem in Ecclesia adeptam est. Dolendum non omnes huius scholae doctores in fidei puritate perseverasse, suamque gloriam perversis opinionibus obscurasse. Praecipuus Scholae Antiochena character, ad exegesim quod attinet, in eo collocandus est quod Scripturae expositionem ad accuratiora principia revocaverit, dimisso allegoriarum nimio et importuno studio, et praecipuis partibus datis historicae et literalis interpretationi. Praecipuum scholae Antiochena lumen est S. Iohannes Chrysostomus, inter alios vero celebriores sunt Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, Eusebius Emisenus, Isidorus Pelusiota ac Theodoretus.

S. Iohannes Chrysostomus († 407) patria Antiochenus, deinceps vero Constantinopol. Antistes, una cum Theodoro Mopsuesteno eius amicissimo sub disciplina Diodori Tarsensis Scripturarum studio

operam dedit. Libros Sacros utriusque Testamenti fere omnes exposuit in Homiliis quamplurimis, in quibus partes omnes perfecti interpretis ita implevit ut coeteros Graecos Doctores qui ante eum floruerant superaverit, nec a recentioribus unquam superari poterit. Difficile dictu est quam dotem in Chrysostomo prae coeteris suscipere oporteat, num expositionis claritatem, ac soliditatem, an dicendi vim et copiam, an affectum et spiritalem unctionem. Quod autem nostra maxime interest, methodus Scripturam interpretandi apud Chrysostomum suam perfectionem obtinuit. Sensus literalis et grammaticus primas habet partes, qui iterum in proprium et translatum dispescitur, sensus mysticus non excluditur, imo accurate exponitur ubicumque revera existit ac probari potest: in sensu literali eruendo usus loquendi consultitur, versiones Aquilae, Symmachi et Theodotionis passim in auxilium vocantur, nec raro ipse textus hebraicus, contextus sermonis, loquentis scopus, et adiuncta subtiliter, accurate, simulque temperate investigantur, et ad sensum determinandum adhibentur. Quare nullus est inter Graecos Patres, cuius lectio magis commendanda sit sive ad Scripturae intelligentiam, sive ad ipsam interpretandi artem practice ediscendam. Supersunt Chrysostomi exegetica opera sequentia: Homiliae 67 in Genesim cum sermonibus VIII in eundem librum, Homiliae in Psalmos circiter 60, quibus addi possunt homiliae in illud David: *ne timearis cum dives factus fuerit homo (Ps. 48, 17)* et alia quaedam in singulares Psalmorum locos: commentarius imperfectus in Isaiam, una cum homiliis sex in Isaiam cap. VI et alia nonnulla in libros historicos V. T. Ad N. T. quod attinet extant homiliae 90 in Matthaeum, et aliae satis multae in alios Evangelistas et in Acta Apostolorum, demum Homiliae fere innumerae in Epistolas Paulinas, in quibus commentandis ceteros omnes et quodammodo seipsum superavit, ita ut communis fuerit coaevorum opinio eum ab ipso Apostolo, cui addictissimus erat per supernaturalem illustrationem plura didicisse (1). Optima editio operum S. Iohannis Chrysostomi est Maurina a Bernardo de Montfaucon adornata in XIII voluminibus

(1) Meritum relativum diversorum operum S. Iohannis Chrysostomi secundum commune criticorum iudicium ita enunciarı potest. Expositio Librorum N. T. generatim praecellit expositionibus V. T. in ipso autem N. T. expositio in S. Pauli epistolas ceteris praestat.

in folio graec. et lat. Parisiis 1718 seqq. recusa Venetiis 1834, et iterum Parisiis 1839.

Theodorus Mopsuestenus († 429) Chrysostomi olim amicus et condiscipulus Scripturarum studio et interpretatione maxime inclinat. Attamen longe abfuit a Chrysostomi sive ingenio, sive eruditione, sive fidei integritate: literalem enim expositionem intemperanter defendens mysticum sensum pene exclusit, aut cum sensu accommodato (κατ' ἐκβραχιν) permiscuit, vaticinia Prophetarum de Christo in suo vero sensu intelligenda esse negavit, de quorundam etiam librorum canonicorum divinitate dubitare est ausus. Ob has causas, quemadmodum etiam ob insinuatum errorem duplcis in Christo personae, a Concilio Cpolitano II damnatus est. Ex eius operibus exegeticis non supersunt nisi commentarius in Prophetas minores, et fragmenta expositionum in varios libros praesertim in Psalmos, et in Epistolam ad Romanos.

Eusebius Emesenus († 368) scripsit Libros decem in Epistolam ad Galatas, quasdam Homiliae in Evangelia, et Commentarium in Genesim, ex quibus tamen nonnisi fragmenta quaedam supersunt, unde apparet eum literalı potissimum expositioni addictum fuisse.

S. Isidorus Pelusiota († 454) ita dictus eo quod Abbas fuerit Monasterii prope Pelusium in Aegypto, eximius fuit S. Iohannis Chrysostomi discipulus, cultor ac imitator in Scripturarum interpretatione. Quamvis nullum proprie dictum, et continuum scripserit commentarium, tamen inter optimos Antiochenaee scholae interpretes numerandus est ob innumeras fere locorum Scripturae expositiones quas in epistolis proponit. Siquidem ob famam eius doctrinae ac sanctitatis plurimi ex variis Ecclesiis ab eo postulabant solutionem difficultiorum de Scriptura quaestionum, quibus ille datis epistolis satisfaciebat. Supersunt Isidori epistolae ad 2000, quas in quinque libros distribuit Billius, Ritterschusius et Schottius ediderunt (Unica editio completa est Parisiensis anno 1638). Porro maior pars harum epistolarum exegeticae sunt, in quibus brevi, accurato, et pene attico stylo varia Scripturae loca secundum literalem sensum exponuntur, quamvis non raro ad allegoricas etiam interpretationes excurrunt.

Theodoretus († 458) Cyri in Syria Episcopus Theodorum Mopsuestenum et S. Iohannem Chrysostomum in Scripturarum inter-

pretatione ita sequutus est ut utriusque dotes in se coniungere conatus fuerit, tantumque nomen sibi comparaverit ut ab omnibus inter praecipua orientalis Ecclesiae lumina accenseatur, a nonnullis vero, ut a Rich. Simonio, ceteris praelatus fuerit. Theodoretus methodus hoc sibi proprium habet quod non solum continuos commentarios in quosdam libros complectatur, sed etiam quaestiones, in quibus difficultates criticae et exegeticae praecipuorum locorum discutiuntur. Supersunt eius *Quaestiones in Octateuchum*, idest in libros V Moysis, Iosue, Iudicum et Ruth, *Quaestiones in libros Regum et Paralipomenon*. *Commentarii in Prophetas* maiores et minores, ubi tamen commentarius in Isaiam integer non habetur, *Interpretatio in CL Psalmos*, *Interpretatio in Cant. Canticorum* demum *Interpretatio epistolarum S. Pauli*. Omnia haec scripta utilissima sunt, ac lectu dignissima, imprimis interpretatio in *Psalmos*, qua nihil melius apud Graecos Patres invenire datur, et explanatio in *Cant. Canticorum*, ubi verum libri sensum de Christi cum Ecclesia unione contra Theodorum Mopsuestenum strenue defendit, et luculenter exponit. Interpretatio etiam Epistolarum Pauli in magno pretio habetur. Quaedam Theodoretus scripta in quaestione Nestoriana ab Ecclesia damnata sunt, non tamen scripta exegetica. Editio praecipua Theodoretus prodiit Aleae an. 1769.

III. Schola exegetica Edessena, et Nisibena.

Duae laudatae scholae in interiori et orientali Syria a primis Ecclesiae temporibus fundatae magnam famam adeptae sunt, et egregios Scripturae interpretes dederunt, quorum commentarii Syriaca lingua prodibant, sed plerumque per graecam versionem in aliis quoque Ecclesiis perlegebantur. Maximum Edessena Scholae sidus est S. Ephrem, cui plures alii adiungendi sunt plus minus celebres, ut Zenobius Abbas, Isaac Edessenus, Issac magnus dictus, Iacobus Sarugensis, Iacobus Edessenus, Dadiesu Patriarcha, Ebediesu episcopus Nisibenus et alii nonnulli. Character harum Scholarum in Scripturarum interpretatione similis valde est scholae Antiochenae ob studium scilicet literalem sensum eruendi, non exclusis mysticis sensibus, et opportunis quoque accommodationibus moralibus, una cum mira unctione ac pietatis sensu, qui undique ex commentariis praesertim S. Ephreni spirat.

S. Ephrem Syrus († 378) Edessena Ecclesiae diaconus fuit,

nec enim summa eius animi modestia unquam permisit ut ad sacerdotii honorem, quo dignissimus erat, promoveretur. Tanta eius sanctitatis ac doctrinae fama percrebuerat ut eius scripta, teste Hieronymo (catal. c. 115), post lectionem Scripturarum in quibusdam ecclesiis publice recitarentur. Praeter multa dogmatica, et ascetica partim prosa oratione, partim versibus exarata, commentarios composuit in Sacros libros utriusque Testamenti. Supersunt syriace comment. in Pentateuchum, in Iosue, Iudices, et 4 Libros Regum, Explanatio in Iob, Isaiam, Ieremiam cum Threnis, Exechielem et Danielem, item in Oseam, Joel, Amos, Abdiam, Michaeam, Zachariam et Malachiam. In Armenica autem versione superest eius expositio in harmoniam evangelicam, et in Epistolas Paulinas. Praeterea huc pertinent *Sermones* multi, *Scholae* asceticae, *quaestiones* breves in plures Scripturae textus, ut sermones XII de paradiso Eden, alii XII exegetici, *Tractatus de Sacerdote Heli* etc. S. Ephrem dictione utitur elegantissima, stylo perspicuo et ad populi intelligentiam accommodato, Scripturae sensum ex loquendi usu, ex contextu, ex scopo auctoris subtiliter et accurate determinat, allegoricas accommodationes sobrie proponit, ubique autem lectorem docendo movet, et ad virtutis studium inflammat. Optima editio operum S. Ephremi est Romana cura et impensis Card. Quirini ex codicibus praesertim vaticanis adornata syriace, graece et latine. Romae 1732-46 Tom. 6 in fol. Sed multa in hac editione desiderantur, quae postea in lucem prolata sunt, vel adhuc inedita in variis bibliothecis asservantur: latina etiam versio accuratior, et simplicior desideratur.

S. Iacobus Sarugensis († 522) ita dictus ob sedem episcopalem Batnae vel Batnarum in Sarugo ^{ܣܪܘܓܘܢ} Mesopotaniae regione apud Syros orthodoxos aequae ac eterodoxos tantam famam adeptus est ut autonomastice *Doctor* ^{ܕܘܩܬܪܐ} appellatus fuerit, et « *Spiritus Sancti fistula, et fidelis Ecclesiae cythara* » (Assemani Bibl. Orient. Tom. I, pag. 286). Multa pie et admodum eleganter conscripsit tam soluta, quam ligata oratione, quorum nonnulla edita sunt, sed maior pars in Bibliothecis Vaticana, Medicea, Londinensi, Parisiensi et alibi Mss. asservantur. Ex his non pauca ad exegesim pertinent. Editio completa operum huius S. Doctoris Theologis aequae ac literarum orientalium studiosis utilissima foret.

S. Isaac Magnus († Saec. V) presbyter Antiochenus magnam apud veteres celebritatem adeptus est. Multa eum scripsisse tradit Gennadius in Catalogo vir. ill. (addito catalogo Hieronymi) n. 66. Multa inedita latent.

S. Marutha (Saec. V) Episcopus Tagritensis in Mesopotamia multa erudite scripsit, teste Socrate Hist. Eccles. lib. VIII, c. 8, inter alia *Commentarium in Evangelia* (Assemani Bibl. Or. I, 174-195).

S. Iacobus Nisibenus episcopus († 338) plura scripsit laudata a Gennadio (Catal. n. 1) et ab Assemani (Bibl. Or. I, p. 537) (1). Satis multa sub eius nomine Armenice extant imprimis homiliae, quae cum versione latina edita fuerunt a Card. N. Antonello Romae 1736. Recentissimi tamen critici eas Nisibeno abiudicant, et Iacobo Aphraati genere Persae (c. a 340) adscribunt: earum textum Syriacum sub eius nomine nuper vulgavit G. Wright Lond. 1869 (2).

Omittimus alios Syrorum doctores et exegetas superius nominatos, itemque alios quorum scripta parum nota sunt, aut nunquam vulgata (3). Etiam apud syros eterodoxos (Nestorianos, et Monophysitas) per hanc aetatem et deinceps non defuerunt viri docti qui Scripturis interpretandis operam dederunt. Ex his sufficiat memorare episcopum Mobergensem, *Xenaiam*, alias *Philoxenum* dictum, Monophysitam († 518), qui praeter notam versionem N. T. sub eius auspiciis exaratam, ideoque *Philoxenianam* dictam, commentarios in S. Scripturam confecit, in quibus tum doctrina, tum magna sermonis elegantia elucet (Assemani Bibl. Orient. II, 23-46). Sequentibus aetatibus, praecipue saec. XIII Greg. *Abulpharagius* cognomine Bar-hebraeus (Iacobitarum Antistes) et *Ebed Iesu* Sobensis metropolitae (Nestorianus) omnigena eruditione floruerunt, et scripta etiam exegetica in S. Scripturam reliquerunt.

(1) Assemani in Bibl. Or. I, 19 asseruerat S. Iacobum fortasse nihil scriptum reliquisse; sed postea (pag. 557) id retractavit, et de illius scriptis mentionem fecit. Quidam recentiores id non animadvertentes pergunt affirmare S. Iacobum Nisibenum nihil scripsisse innixi primo illi Assemani testimonio.

(2) Vide G. Wright: *The homilies of Aphraates, the Persian sage, edited from syr. Mss. of the fifth, and sixth century.* London. 1869.

(3) De his plura invenies apud Assemani Op. cit. et brevius apud Hoffmann in *Prolegomenis* ad Grammaticae Syr. lib. III Halae 1827 pag. 1-13 vel apud Bickell: *Conspectus rei Syrorum literariae. Monasterii* 1871.

ARTICULUS II.

PATRES ET ECCLESIASTICI SCRIPTORES LATINI SAEC. I-VIII.

Apud Latinos commentarii in S. Scripturam a saeculo quidem secundo confici coeperunt, et quidem, uti videtur, secundum praevalentem tunc consuetudinem mystici potissimum et allegorici. Verum antiquiores istae lucubrations ad nos non pervenerunt. Qui paulo post floruerunt interpretes usque ad S. Hieronymum plerumque eandem sequuti sunt methodum, et saepe etiam Origenis expositiones aut excerpserunt, aut in usum suum converterunt (1). Nihilominus saeculo IV et seqq. insignes extiterunt Doctores qui literalem expositionem cum allegorica coniungere satagebant, et illustra nobis reliquerunt exegetica scripta. Hic tantum praecipuos Latinos interpretes laudabimus, scilicet SS. Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum et Gregorium M.

S. Hilarius Pictaviensis Episcopus († 368) in Scripturis exponendis plerumque Origenem sequutus est. Reliquit *Commentarios in Psalmos* « in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit » (Hieron. Catal. n. 100), item *Commentarios in Matthaeum*, in quo pariter allegoricum sensum potissimum sectatur; demum tractatus *in Iob* « quos (inquit Hieronymus, ibid.) de graeco Origenis ad sensum transtulit. » Est igitur sanctus hic Doctor ex iis Latinis qui in exegesi scholam Alexandrinam sequuti sunt, et ad eam referri possunt, in dogmaticis tamen operibus, imprimis in libris de Trinitate, sensui literali Scripturae pressius inhaeret.

S. Ambrosius Mediolanensis episcopus († 397) praeter alia opera clarissima et omnibus nota, plures Scripturae libros interpretatus est. Extant eius *Libri VI in Exameron*, item Sermones, seu *Libri de Paradiso, de Noe et arca, de Abraham, de Isaac, de Iacob, de Ioseph, de benedictionibus Patriarcharum*, duo *Apologiae David*, et

(1) Commentarius *S. Irenaei* in Apocalypsim ab Hieronymo laudatus ad nos non pervenit. Ex *Commentariis S. Hippolyti* Portuensis tantum fragmenta supersunt allegorica plerumque, et Origenis expositioni simillima; *Tertulliani* et *Cypriani* opera nullum commentarium proprie dictum continent, licet copiosas singularium locorum Scripturae interpretationes, et quidem plerumque optimas praeserferant. Ex libris *S. Victorini* Petabionensis supersunt *Tractatus de fabrica mundi*, et *scholia in Apocalypsim* fere allegorica, et mystica.

aliae similes in quibus sacrorum Librorum V. T. historias populo exponit, item *Expositio duodecim Psalmorum*, et alia distincta in *Psalmum 118*; ad N. T. quod attinet celebris est eius *Expositio Evangelii secundum Lucam*. Methodus S. Ambrosii in Scripturae expositione similis est Originianae: est igitur fere totus allegoricus, et mysticus non solum in Veteri sed etiam in novo Testamento: quinimo in exponendo exaemerone vix aliud fecisse deprehenditur quam Origenis expositiones, temperatas tamen S. Basilii commentariis, in latinum convertere. Nihilominus opera exegetica S. Ambrosii sacris concionatoribus, et animarum pastoribus utilissima sunt.

Extat ad calcem operum S. Ambrosii commentarius in Epistolas Paulinas, quem olim sancto Doctori adscriptum nunc communi consensu critici eidem abiudicant, et usu iam recepto sub nomine *Ambrosiastri* citare solent. Expositio haec docta simul et perspicua magnam laudem meretur (1).

S. Hieronymus (+ 420), quem ecclesia salutem « in exponendis Scripturis Doctorem maximum » (Oratio in eius festo) Stridone in Dalmatia natus circa annum 334, Gregorii Nazianzeni, et Hydymi Alexandrini, ut ipse testatur, discipulus fuit, ita tamen ut magistros suos, ceterosque Patres in Scripturarum scientia superaverit. Siquidem nemo occurrit inter Ecclesiae Doctores qui omnibus dotibus ad optimum interpretem formandum necessariis, et opportunis aequae instructus fuerit. Acri ingenio praeditus, et in profana literatura apprime eruditus Scripturarum studiis se totum addixit a prima inventute usque ad 90 fere annum, nihilque omisit quod ad Scripturae intelligentiam conferre posset. Praeter latinam lin-

(1) Non est tamen omittendum in nova editione operum S. Ambrosii quae super Mediolani prodit (a. 1876-1884) curante Illmo ac Rmo P. A. Balerini aliisque doctis viris laudatum *Commentarium in XIII Epistolas B. Pauli Apostoli*, quem Maurini editores et reliqui post illos uti spurium reiecerant, iterum S. Ambrosio vindicari. Aiunt enim novi editores opus illud nihil aliud esse quam expositionem in Pauli Epistolas, quam in concionibus ad populum Mediolanensem se dedisse ipse S. Doctor commemorat in principio suae *Epistolae ad Simplicianum* (quamvis fortasse non ab ipso sed a discipulis in lucem editam ac divulgatam) quemadmodum veteres omnes existimaverant usque ad Saeculum XVI: rationes autem a recentioribus in contrarium adductas, ut ex diversitate styli, ex suppositis erroribus etc. minime validas esse ostendunt. (V edit. cit. to. III pag. 347-371).

quam, graecam quoque et hebraicam profunde callebat, chaldaicam quoque serius didicit, in Oriente diu commoratus biblicam geographiam ac topographiam susceptis itineribus familiarem sibi reddidit, hebraicam archaeologiam ex orientalium consuetudine, et a pluribus Iudaeorum magistris diligenter haustam notam habuit, demum antiquas versiones, vetustos codices, et aliorum sive Latinorum sive Graecorum commentarios pervolutare nunquam destitit, nullis ob hanc causam expensis aut laboribus parcens. Exegetica eius opera, praeter novam ex hebraeo latinam versionem V. T., et recensionem versionis vulgatae N. T., sunt sequentia: *Liber quaest. hebr. in Genesim, et Lib. de nominibus hebr., Comment. in Ecclesten, Comment. in Isaiam libri XVIII, Comment. in Ieremiam libri VI, Comment. in Daniele et in Ezechielem, Tractatus in lament. Ieremiae, Comment. in Prophetas minores, Comment. in Evang. Matthaei, in Epist. ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem, Comment. in Iob*. Praeterea plures Origenis lucubrationes in Isaiam, in Ieremiam, in Ezechielem, in Canticum, in Lucam et alia latine reddidit, et in Epistolis persaepe Scripturarum interpretationes egregias proponit. Ad methodum interpretandi quod attinet, Hieronymus mediam quandam viam inire studuit inter allegorizantem scholam Alexandrinam, et literalem Antiochenae exponendi rationem, ita ut principaliter quidem literalis sensui inhaereat, eumque doctissime exponat, saepe autem mysticos indicet sensus, non eos tantum qui a Spiritu Sancto Scripturae locis subiecti sunt, sed et eos qui sive ad ornatum orationis, sive ad lectorum aedificationem Scripturae verbis accommodari possunt. S. Hieronymus non semel conqueritur quod multitudine negotiorum, et amicorum importunitate coactus multa scribere cum nimia festinatione debuerit, nec ad limam ea revocare potuerit (vid. Praemium in lib. III comm. in epist. ad Galatas, et in lib. II comm. in epist. ad Ephesios). Et re quidem vera festinationis huius vestigia non semel in Hieronymi scriptis offenduntur, quae obscuritatem aliquando pariunt, et aliquando non satis inter se convenire videntur, cum scilicet sanctus Doctor vel decursu temporis opinionem mutaverit, vel non suam sed aliorum expositionem proponat, quin lectorem de hoc admoneat. Commentarii in Prophetas minores ceteris praefereendi videntur: iuxta alios vero

commentarii in Prophetas maiores praecellunt. Certum est utroque thesaurum biblicae scientiae continere, et obscurioribus vaticiniis, iis praesertim quae ad historiam Orientalium populorum alludunt, miram lucem affundere, quae frustra alibi quaereretur.

S. Augustinus († 430) episcopus Hipponensis, Tagastae in Africa natus anno 354, et a Manichaeorum errore, vitaeque licentia, precibus pie matris Monicae, ac opera S. Ambrosii revocatus, sacris scientiis ac Scripturarum meditationi se totum addixit. Inter opera quae pene infinita posteris reliquit satis multa ad Scripturarum expositionem pertinent. Scilicet, praeter *Libros quatuor de Doctrina Christiana*, ubi methodum Scripturas exponendi tradit, *Liber imperfectus de Genesi ad litteram*, libri XII *de Genesi ad litteram*, *Quaestionum in heptateuchum* libri VIII, *Adnotationes in Job*, *Enarrationes in omnes Psalmos*, *de Consensu Evangelistarum* libri IV, *Quaestionum Evangeliorum* libri II, *de Sermone Domini in monte* libri II, *Tractatus 124 in Iohannem*, *Tractatus 10 in Epistolam primam Iohannis*, *Expositio quorundam (LXXXIV) propositionum ex epistola ad Romanos*, *Epistolae ad Romanos expositio inchoata*, *Expositio Epistolae ad Galatas*, praeter alios quosdam *Tractatus* et *Sermones* recenter detectos et ab Angelo Maio aliisque vulgatos, et epistolae nonnullas exegetici argumenti. De valore exegetico operum S. Augustini non una est criticorum sententia. Quidam ex Protestantibus, a quibus non prorsus abluunt Ioh. Iahnus (*Enchir. hermen.*) Augustini expositiones prorsus despiciunt, alii contra ceteris Latinorum commentariis ipsique Hieronymo praeferunt (ex. gr. Keil introd. pag. 658); idemque dissensus plus minus etiam inter catholicos criticos existit, quamvis omnes Augustini doctrinam ac meritum suspiciant. Negari certe non potest dogmatica Augustini scripta exegeticis praeferenda esse. In illis enim Ecclesiae doctrinam apprime edoctus, et in philosophorum opinionibus diligenter versatus, et sublimissimo et acutissimo ingenio praeditus ceteros omnes Ecclesiae Patres superavit, et profundiorum theologiae christianae scientiam quasi fundavit. In Scripturarum vero studiis pluribus subsidiis caruit, quorum utilitatem aut necessitatem ipse frequenter fassus est: linguam enim hebraicam ignorabat, graecam mediocriter tantum novit, in hebraicis antiquitatibus haud magnam cognitionem suppellectilem sibi para-

verat: hinc in literalis sensu exponendo saepe haeret, nonnunquam verborum lusibus ac subtilitatibus indulget, saepissime ad mysticas et allegoricas interpretationes confugit. Haec in Psalmorum expositione potissimum observantur. Nihil tamen minus ingenii acuminis et ardenti Scripturarum amore, ac indefesso studio defectum illum quodammodo supplens ipsum literalem sensum in pluribus difficilioribus locis feliciter exponit, et in libris praesertim de consensu Evangelistarum, et in Epistolam ad Galatas tum historicis, tum dogmaticis locis miram affert lucem. Praeterea morales applicationes, et fervidae exhortationes quas in commentariis passim inserit pie fidelium meditationi et concionatorum usibus ingentem utilitatem afferunt. Ceterum de exegesi S. Augustini extat speciale opus sub hoc titulo: *Aurelius Augustinus Hipp. Sacrae Scripturae interpres* a H. N. Klausen Hafniae 1827. Praestantissima editio operum Augustini parata est a Maurinis Parisiis, 1679 XI tom. in fol.

Marcus Aurelius Cassiodorus († 562) ex publica magistratura et forensibus negotiis sub Gothorum regibus in Italia gestis in monasterium Vivariense se recepit, ubi Sacrarum Scripturarum studiis ad mortem usque operam dedit, atque ut a suis monachis diligenter excolerentur curavit. Ad hunc finem exemplarium latinorum copiam collegit et eidem monasterio legavit, eorumque emendationi tempus laboremque non exiguum impendit, demum exegeticis quoque scriptis latinam Ecclesiam exornavit. Nam praeter libros *de Instit. divin. litterarum*, in quibus monachos docet rationem sacros libros intelligendi, et priorum Patrum commentarios breviter enumerat ac diiudicat, scripsit etiam *Expositionem in Psalmos*, item in canticum Cantic. quam tamen multi eius esse negant, item *Complexiones* in Epistolae, Acta Apostolorum et Apocalypsim. In Psalmorum expositione Augustinum maxime sequitur ac fere exscribit, nonnullis tamen additis observationibus plerumque mysticis, dogmaticis ac moralibus. Complexiones, ideo dictae quod non singula verba sed plures simul versus ad sensum breviter explicant, maioris momenti esse videntur ob accuratiorem et pleniorum literalis sensus expositionem. Optima editio Opp. Cassiodori prodiit Rothomagi 1679 2 Tom. in fol.

S. Gregorius M. († 604) unus ex praecipuis Ecclesiae latinae Doctoribus praeter alia opera plures Scripturae libros explanavit

morali plerumque, et mystica interpretatione. Exegetica opera quae absque dubio ad Gregorium M. pertinent sunt *Libri XXXV Moralium in Iob, Homiliae XXII in Ezechielem, Homiliae XI in Evangelia*, quibus addi potest expositio in lib. 4 Regum, quae tamen creditur ab eius discipulis paullisper immutata et interpolata fuisse. Quamvis S. Gregorius in praefatione in *Libros Moralium* expresse doceat allegoriarum fructus ex historiae radice derivandos esse, historicum tamen sensum non semper sequitur, et saepe neglecta litera ad allegorias, et ad morales sensus excurrit. Negari tamen non potest in hoc temperamentum ac sobrietatem adhibuisse, eiusque morales praesertim expositiones minime contortas esse, sed spontaneas, spiritu plenas, et lectoribus utilissimas. Optima editio est Maurina Parisiis 1705 IV Vol. in fol.

S. *Isidorus Hispalensis* († 636) praecipuum hispanicae Ecclesiae lumen inter plurima doctissima opera pauca admodum exegetica reliquit, scilicet *lib. De Allegoriis S. Scripturae, Quaestiones in V. T. et Librum numerorum* qui in Sacris Scripturis occurrunt. In omnibus fere praecedentium Doctorum, imprimis Augustini et Gregorii expositiones ac sententias colligit, aliaque de suo ingenio adiecit plerumque allegorica et mystica.

Ven. *Beda* († 735) Ecclesiae Anglicae, et Benedictinae familiae decus in Scripturis exponendis plurimum insudavit, et in omnes fere libros commentarios reliquit. Scilicet *Libros IV in Genesim*, quos in scripsit *Hexameron, Comm. in Pentateuchum*, item libros III de *Tabernaculo et Vasis eius ac vestibis Sacerdotalibus*, Expositiones allegoricas in *Samuelem* prophetam, in *Libros Regum quaestiones XXX*, et alia usque ad *Explanatorem Apocalypsis*. Bedae commentarii plerumque ex praecedentium Doctorum scriptis excerpti sunt, ut ipse fatetur in Praefatione ad *Comm. in Marcum* et in *Lucam*, ita tamen ut aliorum Doctorum verba maioribus literis initialibus a suis distingueret, et enixe deprecaretur ut transcriptores eius operum eadem distinctionis signa servarent, quod tamen deinceps facere neglexerunt. Licet Ven. Beda distinctionem sensuum in literalem, allegoricum, anagogicum, et moralem agnoscat, saepe tamen literali praetermisso, mysticos sequitur, qui aliquando non nisi allegoricae accommodations sunt. Scripta huius sancti Doctoris exegetica utilissima sunt tum interpretibus, tum animarum pastoribus, et facilitate quadam styli, atque expositionis praecellunt.

CAPUT III.

OPERA EXEGETICA DOCTORUM MEDII Aevi (SAEC. VIII—XV).

Quamvis verum non sit medio aevo sacrarum literarum studia neglecta prorsus iacuisse, quinimo in monasteriis potissimum viri doctissimi numquam defuerint qui hanc aliasque disciplinas summo ardore prosequerentur, fatendum tamen est omnia, vel fere omnia exegetica opera huius temporis minime nova et originaria fuisse, sed ex praecedentibus auctoribus excerpta. De his pauca dicturi ea in tres classes distribuemus, nempe 1° *Catenas* in Sacram Scripturam, quae potissimum apud Graecos apparuerunt, 2° *Glossas* vulgatas apud Latinos, quibus adiungendae sunt *adnotationes*, et *postillae*, 3° *Commentarios* proprie dictos.

I. *Catena*e apud veteres dicebantur expositiones quaedam Sacrae Scripturae ex textibus antiquiorum Doctorum conflatae. Huiusmodi opera satis multa innotuerunt potissimum ex graecis interpretibus Origene, Chrysostomo, Theodoro et Cyrillo Alexandrino excerpta, in quibus etiam plura testimonia conservata sunt ex operibus aliunde deperditis. Huiusmodi compilationis exemplum dederat saeculo VI Procopius Gazaenus per suam *Catenam in octateuchum*, quem recentius imitatus est *Nicetas Heracleensis* (saec. XI) et deinceps alii. Plures ex his catenis MSS. in bibliothecis asservabantur, unde illas emerunt, et ediderunt recentiores nonnulli, inter quos eminent Petrus Possinus, et Balth. Corderius, S. I. cuius *Catena graecorum Patrum in Psalmos* Antverpiae 1643 caeteris praestare videtur (1). Ex latinis autem simul et graecis Patribus catenam in quatuor Evangelia confecit S. Thomas Aquinas, quae vulgo *Catena aurea* dicitur, et a nonnullis *glossa continua* in quatuor Evangelia appellata fuit, in qua S. Doctor singulorum versuum aut maiorum sectionum interpretationes ex plus quam LXXX latinis, graecisque optimis et antiquis interpretibus excerptas ipsis eorum verbis exhibi-

(1) Titulus operis est: *Expositio Patrum Graecorum in Psalmos*. Antverpiae 1643: quam Corderius ex mss. Bibliothecae Caesareae Viennensis, additis codicibus Bavaricis Bibl. Monasteriensis, se edere testatur in *Praefatione* ad lectorem.